



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Daniel Proph. 21. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

21. Julii. VITÆ SANCTORVM. 355
phæum posuerunt Crucem mirè splendentem, &
eujus apice columba solatia dedit & omnibus
vulneribus medicinam. Triumphum hunc pri-
mum ornarunt XV. millia hominum in libertatem
Christianam è Deorum servitute asserta. Non
multò post iterum pugnatum, & in triumphum
ducti ignis & aqua. Nam & faces ardentes pectori
admotas in sancti amoris flammis, & aquas, in
quas abjecta erat, in baptismum vertit DEVS. Ite-
rum ergo triumphanti columba illa divina palàm
coronam imposuit. Invidit Olybrius, & caput
laureatum gladio abstulit. Sed imprudens alteram
coronam adjecit. *Ex Surio & Lippeloo.*

*Diabolica tentationis tibi proponuntur exempla, ut
& ipse contra hostis callidi deceptoris insidias solerter
evigiles, & dum te delectat aliorum audire victorias,
ipse te per languidi corporis ignaviam non remittas.*
S. Pet. Dam. l. 6. Ep. 21.

S. DANIEL PROPH. 21. Julii.

Agite Mariani, si virtutis ardua, si res qua piget
calcare, ecce ille magnorum regum vates, ille
leonum & adeo Deorum domitor per pomaria
illuc vos ducet. vos modò ne oculos otiosos affer-
te, sed obambulando ipsum pudicitiae florem Su-
sannam spectate. Anne videtis, uti nec formæ de-
cor, nec locus solus, nec blanditiæ minæ hunc
possint decerpere? nempe sola non fuit, quæ se-
cum in oculis ubique Numen circumtulit. Certè
hoc suis in oculis Susannam tulit. Etenim, agite mo-
dò capita scelestas, eja populum in vestram perni-
ciem cogite, accusate innocentiam damnandi à
puero senes. Et, quid tu ais? scelus. ubi facinus pa-
tratum? sub *schino*. euge! & tu Orci silicernium,
ubi?

ubi? sub *prino*. papæ! neque mentiri se itè didicistis.
 Io! Innocentia triumphas. nunquam patrono cares.
 At vos capulares Veneris columbos jam lapidan-
 tium manus palpabunt. quid saxa, quid moras tra-
 hitis? obruite eja improbas Cupidinis victimas.
 Epitaphium ego dabo. SVB SAXIS AMOR HIS IA-
 CET SEPULTVS. Ex *Dan. ipso*.

*Differunt quidem inter se homo pudicus & Ange-
 lus, sed felicitate, non virtute: illius castitas felicior,
 huius tamen fortior esse cognoscitur; sola est castitas, qua
 in hoc mortalitatis loco & tempore statum quandam
 immortalis gloriæ representat.* S. Bern. ep. 42.

S. DANIEL ABB. 21. Iulii.

IMpetraverat à Deo DANIEL hæredem viro,
 quocum illi hospitii familiaritas inrecesserat.
 Itaque hic eum patronum, at malevoli patrem
 etiam pueri vocabant. Sed pro innocentia pro-
 nuntiavit Innocentia altera. Infans nuper natus,
 qui iussus à DANIELE patrem palam edicere, di-
 gito in verum parentem coniecto, *hic*, aiebat, *pa-
 ter meus est*, atque ita simul patronum suum absol-
 vit, simul calumniatores improbos damnavit. Sub
 hæc cum DANIEL Eulogium latomum cerneret
 in egentes præ aliis pium, precari apud Deum in-
 stitit, plures opes submitteret tam bene prodigo.
 Et annuere DEVS est visus, si pro Eulogio sponde-
 ret, divitias fraudi morum integritati non futu-
 ras. Convenit, spondit DANIEL. Igitur Eulo-
 gius cum saxis thesaurum eruit, ad aulam abit,
 honores mercatur, struit palatia, emit mancipia,
 splendide ac laute victitat. Adest DANIEL of-
 ficii sui amicum commonefacturus, sed surdam
 ad pauperis vocem januam reperit, verberibus
 pro